

**Dissertatio inauguralis botanico-medica de helleboro nigro / [Gottlob Karl Bachovius].**

**Contributors**

Bachovius, Gottlob Karl.  
Universität Altdorf.

**Publication/Creation**

Altorfii Noricorum : Literis Jod. Guil. Kohlesii, [1733]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ftxjs3yb>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
BOTANICO-MEDICA

*DE*  
**HELEBORO  
NIGRO**

*QVAM*

**DIVINA ANNVENTE GRATIA**

IN INCLYTA ACADEMIA ALTORFINA

AUTORITATE ET CONSENSU  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

*PRO GRADU DOCTORIS*

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS

AC PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME  
CONSEQVENDIS

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIT

**GOTTLOB CAROLVS**

**BACHOVIVS,**

**GOTHA - THVRINGVS.**


AD DIEM XXII. MAI

ANNO M D CC XXXIII.

---

*ALTORFII NORICORVM*

LITERIS IOD. GVIL. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.





## PROOEMIVM.



*N* omni medicamentorum appa-  
ratu, quo vetustissimos Græcorum  
Medicos usos esse legimus, vix  
quicquam magis celebratur in eo-  
rundem, quæ supersunt, littera-  
rum monumentis, quam HEL-  
**LEBORVS.** Et cum alia non pauca sint ab iis-  
dem perquam obscure commemorata, propterea  
que talium cognitio posteritati propagata minus est,  
**HELLEBORI** tamen note & utendi rationes,  
sic satis perspicua ab iis relictæ nobis sunt, ut pris-  
ca inventione adhuc hodie imitando gaudere quea-  
mus. *Absit enim, ut Cl. SALMASIO adstipu-*  
*lemur, qui in Homonym. Hyles Iatr. Cap. L.*

posteaquam diversa veterum autorum loca , pro more suo , & critica subtilitate , conferendo inter se , magis intricavit , quam extricavit , tandem ostendere conatus est , Elleborum non esse , cui id nominis hodie datur ; quin veterum saltem nigrum Elleborum in totum distare à nostro . Quamvis enim in eorum descriptionibus , partium præsertim extra terram eminentium , nempe foliorum , florum , ac seminum , adversa quædam occurrant , sufficit tamen , quod radicum , (utpote cum primis expetitarum) quoad externum habitum non minus ac virtutem , haud obscura habeamus indicia , quæ ad nostrum hodie usitatum HELLEBORM recte satis quadrant . Vetusta igitur celeritas , & in hunc usque diem conservata autoritas HELLEBORI me permovit , ut Speciminis Inauguralis Medici loco , non nihil de eodem commentarer , non quidem de omni , sed de illo duntaxat , qui nigri epitheto frequentatur . Faxit DIVINVM NVMEN , ut id bene felicitateq; mibi vortat !

DISSE-

## DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

## HELLEBORO NIGRO.

## §. I.

**S**i verum est, quod Græcorum *Etymologicum magnum* pronuntiat, ELLEBORVM, tanquam Θανάσιμον φάρμακον, nomen accepisse παρὰ τὸ ἔλαιον τῆς Βόρεας, quod comesum perimat; HELLEBORVM potius, scribendum foret, quam *Elleborum*: Sed quoniam Græci vocabula sua, fortuito saepe rebus imposita, & in usum recepta, deinceps demum ex ingenio saepe ab aliis vocibus derivarunt; quemadmodum linguae omnes sine Grammatica ortæ, postea ad regulas Grammaticorum aptatæ sunt; idcirco nobis perinde erit, *Elleborum* quis, an *Helleborum* scribere velit; tametsi prior modus pronunciandi cum spiritu aspero, sit hodie usitatiō fere, magisque probetur accuratissimo Medico philologo Casp. HOFMANNO, incomparabili conci-  
ve meo, & in hac alma Altorfina Professore olim primario. Vid.  
ejus de medicam. officin. Lib. I. cap. 18. Plurali numero vo-  
cem effert VIRGILIVS, Georgic Lib. III. v. 451. ubi *hellebo-ros graves* vocat, quia olim noxiū habitum ac terribile,  
quod postea tam promiscuum factum est, ut plerique stu-  
diorum gratia, ad pervidenda acrius, quæ commenta-  
bantur, saepius sumptitaverint, teste PLINIO in Hist. Nat.  
Lib. XXV. c 21. De Carneade seorsim commemorat VALER.  
MAXIMVS Lib. IX. c. 7. n. 5. quod cum Chrysippo dispu-  
taturus *Elleborō* se ante purgayerit, ad exprimendum inge-

nium suum attentius, & illius refellendum acrius; quales potiones industria solidæ laudis cupidis effecit appetendas. Conf. HARDVINVS ad laudatum PLINII locum. Neutro in genere PLAVTVS posuit, pseudol. act. IV. Scen. 6. cum ait: *Helleborum bisce hominibus est opus*, scilicet quod iussanæ currandæ utilissimum antiquitus haberetur.

## §. II.

Italia *Veratrum* vocat, eodem perhibente *Plinio*; proptereaque Autores Latini veteres, nominatim SCRIBON. LARGVS & Corn. CELSVS solo utuntur *Veratri* vocabulo; quamvis COLVMELLA Lib. VI. de R.R. cap. 38. id rusticorum esse scribat. CÆLIVS *Aurelianus* autem *Hellebori* nomen retinet, sicut etiam A. GELLIVS Lib. XVII. cap. 15. Nostrates, ad colorem radicis & usum in sternutamentis ciendis respicientes, appellant *Schwarze Nießwurz* à tempore vero quo florere herba solet, circa nativitatis Christi Festum nempe, *Christwurz*. Aliarum gentium diversas appellations in Jo. BAVHINI Hist. Plant. Tom. III. p. 636. & MENTZELII Indice plantarum multilingui legere licebit.

## §. III.

Sed ut ad ipsam rem nunc propius accedam, veteris de *Helleboro* historiæ vestigia secutus, ante omnia tritissimæ illius *differentiæ*, inter *album* & *nigrum*, mentionem facere debedo. Jam antea vero professus sum, me *nigri* duntaxat *Hellebori* rationem in prælenti tractatione habiturum. Quare quicquid ad *albi* notitiam pertinet, studiose hic removo, devitandæ prolixitatis nimiæ causa; quamvis non ignorem, non modo priscos Medicinæ statores illos Græcos, utrumque helleborum simul ad suas morborum curationes adhi-

adhibuisse, sed & *albi* & *nigri* in charactere fructuum existere haud minimam affinitatem. Liceat itaque mihi generalem *hellebori nigri* definitionem mutuare ex oculatissimi Botanici TOVRNEFORTII *Instit. rei Herb.* pag. 271. Quod sit plantæ genus, flore rosaceo, plurimis scilicet petalis in orbem positis constante: ex cuius meditullio surgit pistillum, plurimis corniculis, inter stamina & petala jacentibus, circa basin cinctum, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ membranaceæ in corau plerumque desinentes, secundum longitudinem debiscentes, & seminibus fœtæ plerumque subrotundis vel ovatis.

#### §. IV.

Unum est, quod circa istam, alias optime se habentem TOURNEFORTII definitionem, haud sine ratione admonuit Joh. RAIUS, *Methodo Plant. emend.* pag. 77. Genuina *Hellebori N. florum petala esse tubulosa illa*, quæ stamina & capitulum velut corona cingunt: folia autem ista lata, speciosa, quæ florum petala vulgo habentur, cum non defluant, aut marcescant, sed ad fructus usque maturitatem durent, calicem potius constituere. Ceterum diversas ultra duodecim Hell. N. veras species enumerat laudatus TOVRNEFORT. l.c. quibus in Corollario duas superaddit alias, & in primis Hell. N., Orientalem, amplissimo folio, caule præalto, flore purpurascente, quem etiam dudum observavit BELLONIVS in Olympo Asiae monte, & in suis observ. Lib. III. Cap. IV. annotavit.

#### §. V.

Ad hanc, à Bellonio memoratam *Hellebori* speciem parum

rum equidem attendunt Botanici plerique , & tanquam re-  
apſe diſtinctam vix agnoscunt, ut mihi quoque dubium fer-  
me videretur, utrum à vulgari, mox deſcribenda diſcrepet?  
Veruntamen, cum ſolertissimus ille vir TOVRNEFORTIVS  
talem admittat, diſerteque ſtatuat, ipta mihi præ ceteris no-  
tanda venit ideo, quod in iſtis locis naſcatur, quibus pridem  
optimum *Helleborum nigrum* naſci affirmatum legimus.  
Qualiſcunque vero tandem fuerit illius conditio, non vide-  
tur admodum abludere à communi, & nostris quoque ter-  
ris familiari *Helleboro*, niſi forſitan amplitudine partium  
quarundam majori, & virium præſtantia, quæ probabiliter  
bonitati climatis ac ſoli natalis tribuenda eſt.

## §. VI.

Noſtratis autem *Hellebori nigri* uſitatoris deſcriptio-  
nem à Jo. BAVHINO traditam, pro ratione instituti mei  
concinnatam, in medium proferre nunc juvabit. Radicem  
habet numeroſis fibris, cortice ſubnigro, nonnihil cum acri-  
monia levi amaricantem, lignoſam & duram medullam obdu-  
centem. Folia à radice pediculo ſpithamæo crasso, ſuccu-  
lento, tereti, punctis purpureis notato appenſa, diviſa ut  
plurimum in folia novem, viridiania, laevia, rigidiora, cra-  
ſiſoraque, quam in vulgari flore viridi, lata, obtuſa, ferra-  
ta, in extremi folii ora & paulo inferius, crenis autem vi-  
dua relictæ portione tota: pediculi ſingularium foliorum, ut  
& averſi folii nervus, purpurafcentes. Inter folia Flores  
occultantur, pediculo ut plurimum palmari, aut ſequipal-  
mari, ſucculento, & maculoſo, ex foliis quinque candi-  
dis, ungue purpurafcente extrinſecus, ſubrotundis, ſtriatu-  
venularum diſcurſu præditis. Ad floris imum foliolum ob-  
longum integrum, pauloque inferius aliud tanquam vagina,  
interdum diſiſum in plura. Floris medium occupant ſta-  
minula

*minula* multa, lutea, breviaque, cum corona decem, duodecimve tubulorum virentium. Succedunt *siliquæ corniculatæ*, intortæ, septenæ, in quibus *semen* parvum, rotundum, nigrum; fit interdum, ut eunte in semina flore ejus folia colorem contrahant ferrugineum tam intra, quam extra. Aliquando florem habet valde rubentem, interdum album, pro anni constitutione.

### §. VII.

Præter istum, *flore roseo* donatum *Helleborum*, commemorandus mihi nunc venit *hortensis* vulgo dictus, *flore viridi*, qui hoc ipso colore potissimum à priori differt, *radicis* autem forma & habitu plurimum cum eo convenit. Nec minor est *virtutum convenientia*, ut non dubitaverit JO. BAVHINVS l.c. provocare ad experientiam, *quod in purgando & reliquis usibus, hic flore viridi præditus, eadem cum priori omnino præstet*. Quare etiam J. B. CHOMEL dans *l'histoire des Plantes usuelles* p. 25. asseverat Gallos suos indifferenter uti duabus illis hellebore speciebus. Quin bene memini, quod Medicorum nostræ ætatis facile *Coryphaeus*, D. Georg. Wolfgang. WEDELIVS, eundem *flore viridi* anteposuerit alteri, florem roseum exhibenti: *quod illius radices ceterarum specierum omnes amarore & acrimoniam sua & viribus superent*; easdemque propterea, quotannis fere ex Styria, (ubi copiosæ non minus, quam præstantissimæ nascuntur) sibi in usum domesticæ dispensationis afferti curaverit.

### §. VIII.

Poterunt itaque pro usu medico *duæ istæ hellebore nigri species* sufficere, ut non adeo necesse videatur *navigare Anticyras*, & è locis procul dissitis accersere præstantiorum *helleborum*; etsi illius, à Bellonio ac Tournefortio laudati Orientalis, prærogativæ nihil derogatum velim. Salvo sic melioris *delectu*, cavere decet *imposturas & substitutiones*

*fraudulentas aliarum radicum*, sive sint ejusdem, sive alieni generis stirpium. Faceant igitur *Helleborastrī* ac *Helleborines* cujuscunque speciei *radices*, dum & illius, qui vulgo, licet perperam & sine veritatis fundamento dicitur *Helleborus niger Hippocratis*, de quo forsitan optimus ille *Senex* cogitavit nunquam. Neque etiam hæc planta est species genuina hellebori, sed potius *Adonis hellebore radice, bupthalmi flore*, quemadmodum P. HERMANNVS in horto *Lugd. Batav.* recte nominavit. Hujus equidem radices haud exiguum cum vero *helleboro nigro* habent similitudinem, quoad figuram & colorem, *purgandi etiam facultate*, sed debiliori prædictæ creduntut, ideoque neutiquam substituendas prudenter censuit *Barth. ZORN in Botanol. Med.* p. 280. Et sane verosimile est, per incautas aut malitiosas ejusmodi *substitutiones* evenisse, ut contra veterum elogia quandoque inertior, quandoque deleterius plane *Hellebori usus* sit deprehensus.

### §. IX.

Ceterum de *Helleboro nigro* in usum Medicum *folia & radices* potissimum recipiuntur. *Radices* eo tempore effodiendæ sunt, quo succus in plantas nondum absumentus est, saltem ante quam flores producuntur. Ipsas vero ad tertium calidorum gradum, ex veterum sententia referre suadet *sapor* earundem *acris*, linguæ papillas feriens, qui à particulis salinis, sulphureis & tenuibus dependet. Particularum harum qualitates dum eadem sunt, quæ nervas ventriculi & intestinorum fibras irritant, humores viscidos ibi latitantes, incidendo ad evacuationem disponunt, & vasorum obstructionem referant, & facultatem harum *radicem purgatricem* ipso effectu manifestant. Juxta *Jo. Valent. WILLII* testimonium *I. de Morb. Castr.* *Helleborus noster ex primis viis non solum omnis generis humores viciosos educit*

cit, sed & in remotis visceribus, quorū vires suas per va-  
sa lactea & venas extendit, talem excretionem promovet.

### §. X.

Et illa quidem adeo *activa in expurgando corpore*, &  
à remotis quoque partibus corporis educandi noxiam mate-  
riam virtus, fine dubio inde ab antiquissimis temporibus ce-  
lebratum reddidit *Helleborum* utrumque, ac seorsim *nigrum*,  
cujus beneficio MELAMPVS quidam narratur restituisse insani-  
entes Proeti Argiv. Regis filias; unde idem, præter amplissimam  
regni portionem, hoc reportavit gloriæ, ut ipse postmodum  
*Helleborus niger* appellaretur *Melampodium*. Totam illam  
historiam, sive fabulam, ex antiquis scriptoribus curiose  
conquisitam recensuit Celeber. D. Jo. Henr. SCHVLTZIVS,  
tam in Dissert. erudita de *Elleborismis Veterum*, quam in  
*Histor. Medicinæ* pag. 87. seqq. Ubi etiam non immixto  
ipse dolet, deficere nunc penitus scripta Veterum, quibus  
accuratior *Methodus utendi Elleborismis*, tanquam re inter  
Medicos olim omnes cognitissima, forte satis dilucide tradita  
fuit, aut certe tradi debuit.

### §. XI.

Necque tarnen idcirco abstinemus hodie illius decantato  
usu, etiam *purgandi fine*, quamvis determinato magis, no-  
minatim in *affectibus*, quos *Melancholicos* communiter  
nuncupamus, iisque præsertim *gravioribus*, quod sapien-  
ter etiam admonuit laudatissimus WEDELIVS in *Amœnit. M.*  
*M.* pag. 250. adductis hanc in rem variis variorum experi-  
mentis. Locum vero habet præcipue *Helleborus niger in*  
*substantia* (quod dicimus) non tam *pulvere propinato radiciis*,  
quam eadem *infusa cum vino*, aut leniter decocta cum  
aquosis liquoribus. Solent autem præscribi *fibræ rad. Helleb. nigr.* utpote efficaciores adempto capitulo, cepæ quod-  
ammodo simili, quod etiam annotavit DIOSCORIDES.

## §. XIII.

In paulo *minori* autem *dosi*, quam quæ pro purgatione necessaria est, *aperientibus* admista *radix Hellebori nigri*, majorem quasi stimulum ipsis addit ad penetrandum in *varias viscerum obstructiones*, præsertim in inferiori corporis regione; quandoquidem sic *mensium* pariter ac *hæmorrhoidum* salutarem fluxum promovet; quo fine purgantibus etiam aliis associatur *extractum*, de quo plura mox dicam. Simplex valde modus adhibendi præscribitur à *Jo. HEVRNIO*, *Method. ad prax. med.* pag. 429. scilicet *pomum radicibus Hellebori nigri* ad 3*β.* & aliquot *caryophyllis transfigi*, sub *cineribus coqui*, *helleboroque evulso* & *abjecto*, *pomum comedere jubet*; quo remedio, vere euporisto, hominem quartana laborantem, aliis pluribus *incassum assumtis*, decenter inde purgatum, brevi restituit *Emanuel KOENIG.* vid. *Ephemer. A. N. C. Dec. II. Ann. VI.* pag. 99.

## §. XIV.

Quare non admodum operosa *præparatione*, aut *correctione* indigere videtur *Helleborus niger*, nisi propter *indolem*, quam habet cum pluribus aliis purgantibus communem, *torminosam* scilicet, quæ aromaticis atque carminativis, itemque salibus digestivis facile mitescit. *Nihilominus* variorum autorum *variae compositiones* celebrantur, quas longa serie exposuit *Guern. ROLFINCIUS Lib. de Purgant. vegetab.* pag. 225. seqq., nominatim *extractum*, *Syrupos* diversos, *Oxymel Juliani*, *Helleborismum Matthioli*, *Quintam Essentiam Fabri* &c. quæ singula huc transcribere prolixum nimis foret.

## §. XV.

De *Extracto* seorsim, utpote frequentioris usus præparato, ut nonnulla commemorem, perplacet mihi *judicium Georg. Philip. NENTERI* in *Comment. ad Dan. LV-*

**DOVICI**

DOVICI *Pharmac.* p. 21. Licet horum *extractorum* multa admodum speciosa ac elegantia videantur, merito tamen illis omnibus *extractum aqua simplici*, aut *sale tartari parure alterata paratum præfertur*, partim quia tutius, & in operatione præsentius, partim quia absque multis ambagibus, atque inutilibus sumptibus fieri potest. Quod enim *Sulphureis menstruis* extrahitur, parum extracti largitur, & ob termina suspectum est, quia resinosa tantum partem continet, de quo vid. ETTMÜLL. Tom. II. p. 27. a. Quod autem *acidis paratur*, multum virtutis amittit, nec in tanta copia colligitur: quod denique *mixtis* extrahitur *menstruis*, comodiis quidem est iis, quæ acidis atque sulphureis parantur, sed cui bono tot ambages? Comprobat idem Dn. BOVLDVC *in hist. Acad. Reg. scient. an. 1701.* pag. 194. Cum enim aqua radicem extraxisset, quicquid in ea gummosum & resinosum erat, obtinuit; unde Spiritus vini remanentiae superfusus nil amplius resinæ extraxit. Et illud quidem *cum aqua paratum extractum optime purgabat*, absque torrninibus, alterum vero, *per spiritum vini factum*, non solum termina & irritationem excitabat, sed & *parum expurgabat*: hæc ille. Qua ratione TOVRNEFORTIVS instituerit *Hellebori nigri extractionem*, ipse quidem non indicat, testatur vero in suo *Hodæporico*, Tom. II. pag. 189., quod è libris XXV. *radicum Hellebori nigri*, in monte Olympo collecti, duas extracti libras obtinuerit. Propinatum hoc *extractum*, faciendi experimenti causa, tribus Armenianis, ad 3j. cuique, inter purgandum non modo nauseam, & intestinorum termina & molestum ardoris atque rosionis sensum stomachi, per œsophagum ascendentem excitavit, sed & *spasmos* atque *motus convulsivos*, *cum impetu violento ad caput*, *instar jaculi*; quæ symptomata cum per aliquot dies subinde reverterentur, multum diminuerunt existimationi celebrati tanto. pere remedii.

## §. XV.

Utrum fontici effectus illi ab incongrua *extracti* præparatione, an *nimia ejus dosi* provenerint, decernere vix audeo, quamvis ad posterius statuendum magis inclinem: quare jam antea monui, *quod commodius fere istud extractum pro stimulo purgantium aliorum, refracta dosi addatur, quam solitarie & liberaliter exhibeat*. Ne itaque in præscriptione helleboratorum remediorum graviter impingatur, non tantum ad præparandi modum, sed & subjectorum constitutionem provide attendendum erit, ipsæque in primis doses caute sunt definiendæ, quo major circa has Autorum occurrit dissensus, quem studiose exposuit & quodammodo conciliavit *Simon PAVLLI*, in *Append. Quadripart. Botan.* p. 589. Secundum propriam vero ejus sententiam *hellebori nigri dosis in pulvere est à gr. XV. ad. 3j. in infuso à 3j.* vix ad alteram, *extracti* vero à 3*fl.* ad gr. XV. Ceterum uti plerorumque purgantium gummeo resinosorum adversa & torminosa indoles, ita seorsim *extr. hellebori* plurimum corrigi potest additis in formula gr. aliquot *salis digestivi, præsertim tartari vitriolati*.

## §. XVI.

Progredior autem nunc ad declarandas *hellebori*, post purgantem, etiam *in alterando corpore* celebratas virtutes. Nobilissima sane censeri debet, quam à solo pulvere foliorum *hellebori nigri*, cum sachari pondere æquali ad 3*fl.* & amplius assumto, usu continuato, *ad vitam cum bona valetudine longissimam reddendam* pollicetur *Theophr. PARACELSVS* peculiari opusculo; tametsi neminem ego novi, qui ultra modum commendato illo experimento, aut sibi aut aliis *longævitatem* procuraverit, cum & ipse *nil dignum tanto præstiterit promissor hiatu*; vita nempe fuitus, nondum annos natus quinquaginta.

## §. XVII.

## §. XVI I.

Firmiori experientia fundamento nititur *virtus in expediendis hypochondriorum obstructionibus*, atque hinc oris affectibus melancholicis, quod jam supra indicavi. Hoc loco maximopere laudanda venit *tinctura Martis helleborata*, *Wedelianæ inventionis*, de qua extat etiam singularis Dissertatio, ab autoris duobus filiis dignissimis in lucem proposita Jenæ An. 1695. Paratur autem hoc medicamentum *ex hellebore nigri radicibus*, *limatura Martis*, & *tartaro crudō*, cum aqua coctis; post depurationem liquori leniter inspissato, arcendæ corruptionis causa, affunditur modicum spiritus vini. *Tinctura* hæc, si largiori propinetur dosi, ad guttas centum aut ultra (cum alias à 30. ad 35. sufficiat) propinata, *blande movet alvum*, unaque vitiosos humores educit, & laudatos effectus de cetero insensibiliter fere producit.

## §. XVIII.

In *cephalæa*, tum etiam *vertigine idiopathica*, nec non in *artuum tremore*, Celeber. D. Jo. IVNCKERVS in Conspectu Med. Prax. valde commendat *essentiam ex Hellebore nigri extracto resinoso*, secundum *Illustris D. STAHLII methodum*, mediante *Spiritu vini paratam*, non saltem purgandi, sed simul alterandi fine. WEDELIVS l. c. mentionem facit libelli empirici Germanici, in quo recensetur *remedium curandæ Maniæ*; si *extractum Hellebore nigri*, cum aqua simplici coquendo factum, & despumatione depuratum, quotidie ad gr. I. vel alterum detur.

## §. XIX.

Gravissimam ac diuturnam in utroque genu *contracturam*, *extracto & essentia hellebore nigri*, per dies plusculos continuato usu, feliciter curavit Martin. Maximil. PRVG-MAYERVS: vid. *Ephemer. A. N. C. Dec. 111. An. 1. pag. 3.* ubi in scholio plura in ejus laudem afferuntur, & pro am-

pliori

pliori virtutum *hellebori nigri* cognitione commendatur *Jo. Dan. MYLII Basil. Chym. Liber VI.* qui sane in Cap. XVIII. permulta de iis cumulavit, tum ex PARACELSI, tum aliorum forte melioribus experimentis. Longe adhuc plures utilitates *hellebori nigri*, tam interne adhibiti, quam extrinsecus applicati, nominatim *in setaceo contra pestem*, ut & *ad fistulas*, quo minus recensem, penuria temporis prohibeatur. Pleraque tamen, à me forsitan omissa, legere licebit in ZORNII *Botanogol. Med.*

### §. XX.

Vnum succurrit, quod prætermissum vituperabunt forte aliqui, quod scilicet nullum instituerim *Hellebori nigri examen chymicum*. Sed ut verum fatear, accusata modo temporis angustia id impedivit. Eo facilius autem hoc labore supersedeo, quo magis alios eodem jam defunctos deprehendo, nominatim Celeb. D. Rud. Jacob. CAMERARIUM, in *Dissertatione de Hellebore nigro*, habita Tubingæ, MDCLXXXIV. tum etiam supracitatum Dn. BOVLDVC; in quorum experimentis sat curiosis acquiescere posse puto Curiosum Lectorem; quamvis dissimulare nequeam, quod existimem, per analysin chymicam, igne (ut fieri solet) violentiori factam, uti aliorum vegetalium, præsertim *purgantium*, ita *Hellebori* seorsim *nigri* naturalem crasin adeo perverti ac destrui, ut ex omnibus inde productis, quocunque modo consideratis & computatis, parum aut nihil ad melius declarandam, sive ipsam naturalem materiarum compositionem, sive facultatem cum primis purgantem concludi queat; cum præsertim hæc ultimo dicta virtus, per illam ignis torturam tantum non omnino pereat. Quicquid demum sit, ego festinata tractationis & concisa brevitatis veniam exposco.

S. D. G.